Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Quoniam ut ait Ieronimus. Incipit summa fratris raimundi de [illegible] secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri, ne imperitia ministrantium predictam tabulam submergi contingat aliquando naufragantes, Ego Raimundus inter fratres ordinis predicatorum minimus, immo inutilis, ad honorem domini nostri Ihesu Christi et gloriose virginis matris eius et beate Katerine presentem summulam ex diversis auctoritatibus et maiorum meorum dictis diligenti studio compilavi, ut si quandoque fratres ordinis nostri vel alii circa iudicium animarum in foro penitentiali forsitan dubitaverint, per ipsius exercitium tam in consiliis quam in iudiciis questiones multas et casus varios ac difficiles et perplexos valeant enodare. Hoc autem non presumens de viribus propriis attemptavi, que nulle sunt, presertim cum nec velle nec nolle habeam, sed spem figens totaliter in bono obedientie atque in summa clementia salvatoris, qui facit mirabilia magna solus. Distinguitur igitur in tres particulas. In quarum prima agitur de criminibus que principaliter et directe committuntur in deum. In secunda de hiis que in proximum. In tercia de ministris regularibus et irregularitatibus et impedimentis ordinandorum, dispensationibus, purgationibus, sententiis et penitentiis et remissionibus. Modus agendi est talis. In singulis particulis premittuntur rubrice ad ipsas particulas pertinentes. In quarum qualibet rubrica tractatur primo de materia rubrice prout planius et plenius potui, ponendo utilia et necessaria et vitando superflua. Secundo ponuntur dubie questiones et casus. Tercio distinguuntur notabile iuris ad rubricam nostram spectantes, non ambiguam sed veram et certam sententiam continentes. Tu ergo lector, tui pectoris esto benivolus et affectum meum considerans, lingua toxicata non mordeat. Utilia soli deo attribuas, et siqua tibi minus utilia vel penitus inutilia videbuntur, dictis vel libro [illegible] vel te non intelligere [illegible] cogitans caritate [illegible].

Incipit apparatus super summam de casibus.

Ait Ieronimus de penitentia di. i. c. ii. secunda tabula. tabula hic dicitur baptismus vel penitentia, quia sicut nauta nave fracta adherendo alicui tabule evadit maris periculum, ita et homo peccati huius mundi evadit per baptismum vel penitentiam. prima autem tabula appellatur baptismus, cuius scitis si fuit amissa per peccatum non restat remedium nisi per penitentiam, que est secunda tabula ad evadendum peccati naufragium. simpliciter sine palliatione vel excusatione. naufragantes, i. naufragium peccati passos. aliquando vel aliunde, i. ex propriis peccatis, quia sunt alia a peccato erroris indiscreti confessoris. inutilis luc. xvii. Katerine. de ista virgine mentionem facit specialiter forte propter devotionem quam habebat ad eam. foro. forum neutraliter dicitur rerum venalium, forus masculine causarum. extra de v. sig. forus est [illegible] locus. exercitium, i. frequentem usum et per frequentiam inspectionem. velle nec nolle quia regularis erat magister. distinguitur simpliciter hec summula vel hoc opus. notabile iuris. ubi dicitur illud in summa non est evidens, simile dicit aug. ix. di. Nichil aliud existimo quam vel mendosum esse codicem vel non esse assecutum interpretem quod dictum est vel me minime non intellexisse. non ambiguam, et loquitur ibi de canonicis scripturis.

Incipiunt capitula prime particule

De simonia.
De prelatis ut res suas sub annuo censu concedant.
De magistris et ne aliquid exigant pro licentia docendi.
De iudeis et sarracenis et paganis et eorum servis.
De hereticis et fautoribus eorum et ordinatis ab eis.
De scismaticis et ordinatis ab eis.
De apostatis.
De voto et votorum transgressionibus et redemptionibus.
De iuramento et periurio.
De mendacio et adulatione.
De sortilegiis et divinis.
De feriis.
De immunitate ecclesiarum et cimiteriorum.

titulus 29 — prima sunt baptismus et tabula

dicitur masculine forum et forus

Catalogo librorum Mary B. Virg. in Gärsten inscriptus
N°. 15 L.

St. B. L.

Ysagogus